



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna LXIV. Mora Christi in Cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

quorum medio pendes. Cùm itaque, Domine, jam omnia trahas ad te, fac ut ego non sim extra numerum eorum: trahè me ad te, Deus meus: conjunge me tibi, & muta me totum in te. Triumphame, Domine, sicut amor te triumphat; monstra gloriam potentia tuæ, ac thesauros misericordia tuæ, transformando me totum in te crucifixum. O Jesu, Domine animæ meæ! da mihi, ut solus tu regnes & vivas in ea; & ego vivam crucifixus in te: lucrum meum sit, mori pro te, & in te vivere sit vita mea. Non discedas à corde meo, nec discedat unquam à te cor meum, nec desiderium meum, nec amor meus. Hoc momento, quoad me, desinant omnia; & solus tu, Jesu mi crucifixe, maneas mecum; quia tu es amor animæ meæ, vita omnis mortis meæ; unicum bonum meum, omnis felicitas mea, Jesu. O amor! ô Jesu! ô mi crucifixe Jesu! nescio loqui, nec petere aliud; omnia quoad me desinant; solus tu, Domine, loquere, vive, regna, posside, ure, combure cor meum; quia sum, & ero post semper tuus, ô Gloria mea, ô spes mea, ô mi crucifixe, & vere amice Jesu!

*Tota felicitas suorum*

## ÆRUMNA XLIV.

### Mora Christi in Cruce.

I.

*Quantum Redemptori doluerit lenta mors.*



Maxima, plurima, & incompatibilia sunt, quæ Dominus noster Jesus Christus pertulit in cruce, dum in ea pependit. Unum è præcipuis fuit, quòd lentè cogere retur mori, & aliquot horis morari in illis doloribus; quibus etsi potuisset extingui celerius, quia totus debilis, exanguis, & exhaustis viribus in eam suffixus est, ac tormenta fuerunt intolerabilia; sustentavit tamen humanitatem v̄ Deitatis, ne moreretur antè, quàm pertulisset, quidquid pati decreverat. Atque ut inter illa nihil habuit refrigerii, sic dilatio mortis immensum creavit ei dolorem. Nam si caput acclinaret cruci, altiùs penetrabant spinæ coronæ: si nusquam acclinaret, multò magis sentiebat dolorem, quem acclinatio lenire potuit, si absque spinis fuisset: si caput inclinaret, videbat multa, quæ contristarent, mœrorem amicorum.

*inimicorum.*

inimicorum gaudium, vestimentorum direptionem, ipsam denique loci foeditatem. Jam si pedibus niteretur, aut manibus, dilatabantur vulnera, & clavorum acie lacerabantur: si verò nec manibus committeret pondus corporis, nec pedibus, sed quasi libratum teneret in aëre, luxabantur omnes compages, laniabatur caro, dissoluebantur ossa, aucto semper dolore, & manante sanguine, debilitate crescente: atque ita singula simul membra, singulaque juncturae corporis inexplicabilem dolorem creabant: & quò longius vita producebatur, eò magis deficiebant vires, & in singula momenta dolores augebantur, quorum continuata intensio tormentum planè intolerabile fuit: nam ab hora prima (apud nos sexta matutina) usque ad meridiem, quæ ab ortu solis tertia fuit, raptarunt Jesum ad Pilatum, & Herodem, flagellarunt, spinis coronarunt: & cum damnatus esset, eductum ante horam sextam, sive circa undecimam nostram, affixerunt cruci, in qua vixit usque ad nonam, quæ est tertia post meridiem. Quo tempore, sole obscurato tenebræ fuerunt in toto mundo, ac terra tota contremuit, ruptæque sunt petrae, & aperta sepulchra Sanctorum, postea resuscitatorum cum Domino, & à multis conspensorum in testimonium fidei nostræ.

II. Sed licet hæc prodigia voluerit esse argumenta suæ <sup>omni sola-</sup> majestatis ac potentia, quibus elementa suo modo indicarent <sup>io in cruce</sup> gravitatem injuriæ suo Creatori, & Salvatori mundi illatæ per <sup>d. fissus</sup> hanc mortem injustam; nihilominus etiam per illas tenebras <sup>est.</sup> voluit spoliari illo solatio, quo lux inæstorum animos recreare solet. Ac forsan ille terræ motus crucem non parùm concussit, novo ipsius dolore; cum à nulla molestia se eximium esse voluerit. Admirabile prorsus, corpus humanum tam exhaustum & infirmum, inter tanta tormenta, in cruce spirasse tot horis, absque ulla refocillatione, quam à sola morte poterat accipere: quæ tamen ipsa differebatur tam diu. Id quod maximum fuerit omnium tormentorum. Licet autem Pilatus, quando petebatur ab eo corpus Domini, miratus fuerit, eum jam esse mortuum; ea tamen admiratio fuit hominis, cui parùm dolebant verbera, Domino in ædibus ipsius inflicta, quæ sola ad enecandum suffecerant robustissimum

stissimum quemque. Talis certè, ac tam debilis, malèque tractatus exivit è domo Pilati, ut magis divinæ virtuti, quàm humanæ, tribuendum videatur, eum tam diu supervixisse.

*Vilis conditio tortorū.*

III. Accessit ad gravitatem & ignominiam ærumnarum Domini, vilis conditio hominum, in quorum manibus erat filius Dei, Rex cæli & terræ. Viles omnino fuerint, qui pro spolio & lucro reputabant partem non pretiosorum, nec recentium vestimentorum, & pro tunicâ, quòd inconsutilis esset, mittebant sortem, quolibet eorum, quasi inopiæ suæ aliquod levamentum ex illa sperante: & fieri potest, ut ille, qui potitus est, magno se bono auctum putarit. Hæc gens tam abjecta filium Dei vivi manibus indignis atrectavit, flagellavit, raptavit, crucifixit cum omni illa cruditate & indignitate, quam ab ejus farinae belluis potiùs, quàm hominibus erat expectare. Et inter hos fuit ei vivendum usque ad mortem, quorum improba & immania corda, cum absurdissimis dictis & gestibus non parùm auferunt ejus molestias, præsertim inter extrema, ubi decuerat exhiberi illi alia omnia.

IV. Atque ut mare ærumnarum, quas totâ vitâ suâ Dominus noster sustinuerat, his ultimis horis majore furia in maximos fluctus efferbuit, sic dolores corporis ejus immensi, & pluribus rebus contristantibus cumulati fuerunt; ut mirum sit, cor tenerum, & sensu compassionis præditum, intuentis innocentem & mittem Agnellum illis circumdatum & obrutum, non ruptum dissilire in frustra. Sed ipse divinus Agnellus his modis demonstrare voluit amorem, quo erga nos erat, ut nos ad redamandum se vicissim permoveret. Luculenta sanè verò demonstratio, cum sacratissima sua Humanitas tota his ultimis horis impenderetur nostræ salutis & commodis, omnibus ossibus, compagibus, nervis, venis ac partibus inter se certantibus, quænam plus doloris & mali sentiret; ut videamur cuilibet minimæ parti tantum debere, quantum simul omnibus, dum unaquæque tantum occuparetur in nostra salute paranda, quantum simul omnes, ac totum adeò corpus. Illi verò sensus, qui torqueri non poterant, non caruerunt suis molestiis: oculi ab aspectu amicorum & inimicorum, aures à blasphemis & irrisionibus, odoratus à loci spurcitiâ & fetore-

*Nullus sensus dolore caruit in Christo.*

fectore, gustus ab aceto & felle, tota denique Humanitas à defectu omnis solatii & auxilii. Quæ omnia sustinuit Dominus, ut promereri posset nostrum amorem: precor, ut hic tantus labor & impensa sine fructu non sit: nec moriatur ipse pro obtinendo nostro amore, & nos moriamur sine amore ipsius. Certè non potuit Christus pro nostro amore promerendo plus facere, si nos ipsius Deus essemus; & nos, qui ipsum habemus pro Deo, fortè nullius rei majore oblivione tenemur, quàm debiti ipsi amoris. Et sua Majestas, quæ hoc noverat, quando moriebatur, majorem ex eo dolorem capiebat, quàm ab ipsis suis tortoribus. Atque hæc disparitas inter illum & nos talis est, ut unumquemque relinquat, qualis est; illum infinitæ bonitatis, & amicum fidelissimum; nos ingratas & inutiles creaturas: illum morientem amando, nos autem intereuntes non amando.

V. Non omisit Christus inter hos dolores exercere divina. *Corda hu-*  
 Primò enim adimplevit perfectè, quod promiserat, se exaltatum *mana ad se*  
 à terra omnia tracturum ad se. Quod fecit non solum aperiendo *attrahit,*  
 cælum, satisfaciendo pro peccatis, ex cælo ac terra faciendo  
 unum gregem, ad unum ovile spectantem per unitatem amoris;  
 destruendo potentiam inimicorum animæ; conferendo nobis in-  
 finitos thesauros meritorum: sed etiam devinciendo sibi suavitate  
 ac lenitate corda omnium, ut in ipso quærant omnem requiem,  
 & salutem. Nam ut magnes amabili vi quadam attrahit ferrum  
 & chalybem; succinum, siccam paleam; ita crucifixus Agnellus  
 ad se quærendum provocat omnes in necessitate constitutos. Li-  
 cet enim in ipso nihil videamus, nisi dolores ac derelictionem,  
 quæ naturâ suâ nos absterrent, & procùl absunt à desideriis no-  
 stris; nihilominus in cruce sua sic omnia temperavit, ut, quod  
 asperum & acerbum est, sibi retinuerit soli; sed hi, qui cum amo- *Tormenta*  
 re accedunt, tam benignum inveniant ac suavem, ut videantur *sua nobis in*  
 spinæ verti in rosas, dolores in flores, clavi in lilia, pœnæ in de- *d. licias*  
 licias, vulnera in dulcedines, labor in quietem, tormenta in re- *vertit,*  
 frigerium, mors in vitam tranquillam. Sic docet pati, ut non  
 terreat: sic imponit crucem, ut non gravet: sic iavit ad sui imi-  
 tationem, ut adimat metum; quia quidquid in eo videmus æru-

inofum, videtur in ipso consumi, ac perdere suam asperitatem; ut quidquid ab eo crucis accipimus, totum sit politum, pulchrum, suave, gratum & jucundum. Et sic est revera, ut dum amor mundi & hujus vitæ nos retrahit à crucifixo, ejus familiaritas & imitatio videatur nobis amara, tristis, adversa naturæ: sed quando ad eum accedimus, agnoscamus deceptionem, in qua viximus; & sic induamur suavissimis laqueis ejus amoris, ut desideremus pati cum ipso, ac putemus quodammodo non posse nos aliquid pati; quòd totam acerbicatem sibi reservans, nobis non nisi dulcedinem ac suavitatem reliquerit. Probari hoc potest ex eo, quòd illi, quibus Deus dat gratiam petendi labores, tentationes, desolationes internas, vel hæc simul omnia, experiantur se ita illaqueatos virtute hujus agni crucifixi, ut non sufficiat eis, nullam consolationem extra illum quærere in creaturis, & in medio miseriarum sentiant securitatem & quietem, quam creaturæ dare non possunt: ac demum ipso experimento clarè comperiunt, acerbitates & cruces, quas ferunt, esse proprios fontes, unde scaturiunt suavitates, consolationes, & tranquillitas animæ suæ.

*Pro nobis  
Patrem in-  
terpellat.*

VI. Implavit præterea Dominus inter sua tormenta opus Redemptionis nostræ perfectissimè & cumulativè. Videns enim se constitutum in cruce, velut in loco & tempore reconciliandi nobis Patrem æternum, non cessavit cum lacrimis uberrimis, & calidissimis petere nobis gratiam, offerendo in satisfactionem omnia sua tormenta & sanguinem: & fixis in cælum oculis penetrabat pectus & viscera Patris. Apud quem tanti fuit hæc ejus petitio & oblatio, ut impetraverit liberalissimè, quidquid voluit: ut, cum integrè satisfactum esset justitiæ divinæ, copiosa venia sit jam peccatoribus, maximi meritorum thesauri, cælestes favores ac gratiæ, victoria perfecta de inimicis; terra sit schola suorum filiorum, & campus gloriosorum certaminum ac triumphorum; cælum denique pateat omnibus intrare volentibus. Et quia sententia mortis hæctenus obstabat his bonis, per quam propter peccatum primi parentis, eramus omnes subjecti peccato, diabolo & morti, ex lege inscripta nostræ carni; cassavit hanc sententiam Redemptor noster, affigens cruci carnem suam innocentissimam,

*Obliterat  
sancti ne  
suo chiro.*

tissimam, quam acceperat ab Adamo, & eâ laceratâ in frustra, ob-  
 literavit sanguine suo Chirographum damnationis, scripsitque <sup>graphum</sup>  
 in seipso nova pacta cum Deo, & fœdus pacis æternæ per novum <sup>dam. at. co.</sup>  
 Testamentum, nos constituens hæredes regni cælestis, atque ut ta-  
 les admisit secum in partem bonorum cælestium, tanquam filius  
 naturalis, ac primogenitus in multis fratribus. Quia verò testa-  
 mentum ante mortem testatoris non valet, ultimam suam volun-  
 tatem ipsâ morte consignavit, per quam sumus facti veri & legi-  
 timi hæredes æternæ gloriæ. Ideo lex Evangelica vocatur no-  
 vum Testamentum, quo abrogatum est vetus illud Mosaicæ legis,  
 novo per mortem Christi firmato: & sanguis ejus dicitur sanguis  
 novi & æterni Testamenti; quia post mortem Testatoris nulli po-  
 test fieri in illo mutatio; & quia pretio sanguinis ejus liberati su-  
 mus à potestate diaboli, & affecti in libertatem filiorum Dei, recu-  
 perato jure ad ea bona, quibus per peccatum excidimus.

VII. Quia verò sciebat Redemptor, quantum interesset <sup>Quas divi-</sup>  
 suam legem atque doctrinam servari, ne excidamus iterum bonis <sup>us Mag-</sup>  
 à se nobis imperatis, & quantæ simul essent fallaciæ & insidiæ no- <sup>ster in cruce</sup>  
 strorum inimicorum, quos ita quidem subegerat, ut eis tamen li- <sup>leges tradi-</sup>  
 centiam exercendæ nostræ virtutis non profus ademerit; non <sup>derit,</sup>  
 omisit inter lethales dolores bene exprimere in se ipso, ac decla-  
 rare veritates præceptionum suarum, & fraudes inimicorum; ne  
 quis prætereire posset, se ignorasse conditionem, quâ cælestis  
 hereditas adeunda sit. Unde manifestè improbavit atque damna-  
 vit in seipso omnem superbiam & inobedientiam legis divinæ,  
 voluptates & superfluas delicias carnis, vanitatem vitæ ac tempo-  
 ralium rerum, & quidquid retrahit à servitio Patris æterni: & in-  
 summa, quidquid convenit nobis virtutis, amplissimis exemplis  
 ostendit nobis in cruce. Præterea pretium & valorem dedit odio  
 peccati, puritati conscientiæ, crucibus & ærumnis, abnegationi  
 propriæ voluntatis & judicii & oblectationum vitæ, patientiæ re-  
 rum adversarum, humilitati & mansuetudini cordis, paupertati  
 spiritus, amori inimicorum, pugnæ contra tentationes, perfecto  
 amori Dei & proximi. Denique quia omnia dici non possunt,  
 dedit se pro speculo vitæ, ut clarè in ipso intueamur veritates

Evangelicas, & nemo se decipi sinat: quia nihil probabitur in divino iudicio, nisi quod fuerit probatum in cruce.

## E X E R C I T I V M

Ad Christum viventem in Cruce.

### I.

*Se, & omnia dedit IESUS.* **T**otus es meus, totus es meus, opulenta spes animæ meæ! totus impensus meo servitio, & meæ salutis. Totum, quod accepisti ab humanitate nostra, redit in magnos tuos labores cum lucro & auxilio meo; ut propter bona tua me pauperem reputare non possim. Mei nihil indigebas, quando suscepisti meam naturam, & eam totam impendis meæ salutis, totâ pro me pateris, totâ mihi servis, ut lucreris amorem cordis mei. Et quia, Domine animæ meæ, totum das in pretium Redemptionis meæ, non es contentus totam dare, ac totam simul pati; sed vis, ut patiantur singillatim omnes partes ejus, & unaquæque flagret vivis flammis amoris. Das mihi tuam Divinitatem, plenam infiniti amoris: & infinita est virtus omnium, quæ mihi das & pateris pro mea salute. Das mihi tuam Humanitatem tormentis vexatam à capite usque ad calcem: caput spinis coronatum, cæsariem & barbam convulsam, genas alapis liventes, oculos tumentes lacrimis, & offensos aspectu tot rerum molestarum, os imbutum aceto ac felle, aures vexatas blasphemis contra tuam divinam personam, collum fune raptatum & afflictum, ut caput sustinere non possit: manus & pedes clavis confixos, carnem laceratam flagellis, nervos crudeliter extensos, ossa dissoluta, vestimenta sorti subjecta, vires consumptas, vitam & honorem ad nihilum penè redacta inter duos latrones, cogitationes intentas meæ salutis: Matrem mihi relinquis pro Domina, Patrem æternum mihi concilias, merita tua mihi donas, gloriam tuam promittis, misericordiam offers, Justitiæ pro me satisfacis, animam propter me separas à corpore, mortem pro me oppetis, sanguinem usque ad ultimam guttam effundis pro me, & ardes totus amore, quo facis hæc omnia.

II. O superna opulencia mea! quantò melius observas tu erga me peccatorem præceptum amoris, quod mihi dedisti, quàm ego



ego erga te Deum ac Dominum meum? Amas me ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute tua, ex omnibus viribus tuis, ex toto corpore, & omni eo, quod habes. Omnia impendis tam liberaliter, ut pro me accumules immensum thesaurum bonorum. O vera vita animæ meæ! O Domine cordis mei! non scio gratus esse tanto amori, non scio eum æstimare pro merito. Adoro illum, & laudo illum, quantum scio & valeo: atque utinam habeam vires omnium Angelorum, omniumque Sanctorum & justorum, ad amandum te cum illis & respondendum ingenti foco amoris, quem mihi ostendis! Sed tu Deus meus, facis omnia, sicut es, infinito modo; ego omnia, sicut ego sum, miserè: quamvis & hoc mihi dederis, ut faceres te infirmum cum infirmis, pauperem cum pauperibus, & similem peccatori cum peccatoribus, ut omnes cognoscamus, te non expectare à nobis paria & æqualia tuis; non enim habemus: sed esse contentum nostrâ inopiâ, & bonis desideriiis. Ergo, Domine animæ meæ, quidquid à tua manu accepi, eidem consigno, & offero in sempiternum obsequium, corpus, animam sensum, vires, vitam & mortem, & quæ sola ex me habeo, peccata mea: quidquid etiam largitus es mihi donorum, amicorum, ingenii, habilitatis, cogitationum, bonorum naturæ, fortunæ & gratiæ; omnia ad pedes tuæ sanctæ crucis depono.

III. Huc usque, bone JESU, malè sum usus omnibus rebus: & cum tu dederis omnia, ut iis tibi serviam, & promerear gratiam ac gloriam tuam, ego te omnibus offendi, & iram tuam ac damnationem promerui. Sed, ô mi Redemptor! quantum possum, ex corde me convertito ad te, & sisto me paratum ad omnem afflictionem, tribulationem, desolationem & ærumnam, quam volueris pro meis peccatis me pati, & subire in tuo servitio. Per hunc amorem, quem ostendis mihi, te oro, suscipe totum, ac dispone de illo, sicut tibi placuerit. Intra, Domine, in hanc animam: vide oculis meis, audi meis auribus, loquere linguâ meâ, & move omnia membra mea. Inflamma cor meum amore tuo, ne retrahas unquam manum tuam à me, neque sinas me incedere pravis itineribus meis. Ignosce, quæ perperam feci: purga & sana, quæ tibi non placent: transforma me totum in amore tuo,

*Contentus  
desideriis  
nostris.*

*Beatus, qui  
illo conten-  
tus vivit!*

crucifige me pro te, & in te, o amor, o spes mea! O Bonitas infinita, quandoquidem das mihi totum, quod es & habes, fac in anima mea, ut te solo contenta sit, solum te desideret, ad te suspiret, & ego velim te solum. Sis tu meus thesaurus, mea vita, meus honor, mea requies, mea pax, mea securitas, & mea gloria. Anima mea quaerat te solum, acquiescat in te & in brachiis tuis inveniat suam requiem, oblita omnium rerum totius vita.

*Operatione  
Crucifixi  
mortalium.*

IV. O Unicum bonum, amor, & spes animae meae! quid hoc est rei? crux & horae, quibus pendes in ea, tibi soli sunt graves, peccatoribus autem levamento, solatio & refrigerio. Quolibet hora lethalis erat corpori tuo, deficientibus viribus, & pondere corporis augmentibus dolores & vulnera: irrisiones & injuriae renovantur singulis quasi momentis, duritia crucis non mollescit, neque remittit rigor Patris aeterni. Sol tibi negat lucem suam, undique afflictus es tormentis lethalibus. Pro solis peccatoribus nihil his horis invenitur triste: soli reperiunt in te amicum & solatium. O divine & innocens Agnelle, reservas tibi soli dolores? ita illorum es appetens, ut nolis in cruce inveniri, quod me cruciet vel terreat? o benedictum amorem divinum, & laudabilem in saecula! si ego sim servus, in cruce libertatem invenio: si circumder hostibus, habeo te verum & fidelem amicum: si in captivitate, crux mihi facit jucundam: si in afflictione, hic me consolans: hic superas meos inimicos: si petar injuriis, hic mihi efficit dulces: si falsis testimoniis, hic aeternam veritatem me doces: si me deserant amici, hic ex inimico facis me Filium tuum: si temporalia desint, hic ubertim provides mihi: si me persequantur homines, hic me defendis: si inique condemnent, hic me absolvis: si peccem, hic ignoscis: si infirmer, hic me confortas: si trister, hic me exhilaras: si fugiam, hic me revocas: si revertar, hic me recipis: si quid ignorem, hic me instruis: si caecus sim, hic me illuminas: si lapsus, hic erigis: si frigidus in oratione, hic das mihi fervorem: si fervens, hic magis accendis: si proficiam, hic mihi faves: si perseverem, hic me coronas.

V. Hic habeo quietem & consolationem: hic plango, & exhilaror: in omni occasione, in omni tempore, in omni statu es

tu, mi JESU crucifixe, mea securitas, meus sincerus amicus, & fidelis socius, meus Magister sapientissimus, & mei amantissimus Pater. Cùm aspicio, ò mi Consolator! manus clavis affixas, & accedo ad te, tu me uris: & cùm aspicio pedes, similiter. Cùm te voco, subito venis, ac te mihi, associas. Affixus es cruci, debilis & sine viribus; at cùm ad te accedo, subito me suscipis; subito dulcem, subito suavem, subito amabilem, subito pulchrum, subito talem te invenio; qualem volo ac desidero. Quid amplius possum desiderare, cùm hìc inveniam, quidquid mihi est necessarium? quid facio, Deus meus, quando tecum non sum? Tantùm quando te fugio, mihi videris asper: quando me abscondo, fingo mihi terigidum: quando immemor tui alia diligo, tunc te timeo. Sed quando accedo ad te in cruce, ò mi divine auxiliator! video me delusum fuisse, & mox iterum te exhibes mihi, me recipis, me amas, & imple omnibus bonis. O qui nunquam tui oblitus, nunquam a te digressus fuisset! Ama anima mea, Dominum istum, & ejus amore omnium aliorum obliviscere: quia quidquid in mundo est, malè tibi facit, & ille in se suscipit omnia mala tua, tibi que dat suum amorem, & bona sua. Amo te bone JESU! amo te, beatitudo mea, & cupio semper ardere in tui amore.

VI. O Crux, fidelissima socia Domini mei! dimitte nunc eum, & mihi da: ego volo eum accipere in animam meam: quin ipsa cum eo ingredi in eam, & me tibi affige. Non vivam, nisi vobiscum. Cessent nunc meæ miseræ, renovetur vetus homo, & vivam ego in juventute Spiritus Domini. O sanctissima crux! cùm Dominus non fatigetur patiando, fatigeris tu illum cruciando. Tu sola digna fuisti portare pretium gloriæ. Dulcis crux, dulces clavi, qui sustinuitis pondus tam dulce: jam suaves estote ac dulces, quia quem tenetis affixum, non meretur ea, quæ patitur. Demitte ramos tuos, arbor divina; inclina brachia tua, emolli dura tua viscera, tenerescat naturæ tuæ rigor, ut blandiùs tractentur membra hujus incensissimi Agni. Requiesce jam, Domine, à tantis tormentis, à tantis doloribus, & veni in hanc animam, quæ desiderio tui tenetur, & valde indiget præsentia tuâ.

*A quibus  
mala mundi  
di tollat.*

tuâ. Veni ad illam, quiesce in illa, occupa illam, & posside tanquam tuam; quia tu creâsti eam: absolve in ea opus, quod incepisti in cruce.

O Mater DEI sanctissima, fidelis socia æumnarum Domini! tu vides, quanto labore me quæsiverit: fac ne in vanum laboraverit. Merear tua intercessione, ut sine omni divisione dignetur in me vivere sua divina Majestas, & ego in eo. O Curia cælestis, quæ didicisti à Domino diligere peccatores, ac festum celebras in conversione cujuslibet eorum: juva me, ut convertar totus ad eum amandum, & me crucifigendum semper in ipso, & pro ipso. Amen.

Quid Christus in Cruce doceat ac damnet.

I.

*Lux divina  
veritates  
revelat.*

**L**ux divina, quæ illuminas animas positas in tenebris & obscuritate mortis: lux, quæ illuminabas cæcum Tobiam, quando captus tua pulchritudine elucidabat puritatem animæ suæ, & in te collocabat omnem spem suam: lux, quæ inter irrisiones & latrones, neque solis eclipsi, neque malitia inimicorum, neque injuriis ullis potuisti obrui & abscondi: lux, quæ resplendens cum æterna & divina sapientia, revelas veritates occultas, detegis errores vitæ humanæ, ac certam viam ostendis in cælum, teque cognosci facis ab his, qui te crucifixerunt, & confiteri latronem, qui te blasphemârat, & agnoscere à petris, quæ scissæ sunt, & à Patre æterno, cujus obedientiâ moreris. Mitte, ô lux divina, radios tuos super hoc cæcum & ignarum cor; ut videat, quæ damnes in cruce, & quæ doceas probesque; & inflamma congelatam hanc animam amore divinæ sapientiæ tuæ, & odio eorum, quæ improbas, ac studio imitandi, quæ doces & mandas.

*Damnat  
fundamenta  
vitæ hu-  
mana*

I DOCTRINA.

II. Fundamenta vitæ mundanæ, & infelicia fulcra operum ejus, quæ recedunt ab hoc superno bono crucifixo, sunt (sicut ait Scriptura divina) apostatare, & subducere se ab obedientia, & à charitate debita DEO: concupiscentia & amor carnis

ac

ac bonorum temporalium : superbia & vanitas, quâ dimisso Deo, fonte aquæ vivæ, mergimur amoris carnis & rerum terrenarum, superbi, tumidi, præsumptuosi, ac si aliquid essemus, cum nihil simus; & amamus nos ipsos plus, quàm Deum, qui est summus thesaurus, suprema felicitas, ac solus dignus amari. Et nos omnes, filii Adæ, incedimus hoc modo, recedentes à Deo, donec perveniamus ad hunc Judicem crucifixum, tam corrupti, lacerati, perdit, & alieni ab eo, quod in ipso cernimus, quàm ipse, qui clarissima lux est, videt in nobis. Hæc omnia damnat Filius Dei vivi, Magister cælestis, usque ad crucem, in qua pendet, plenus ærumnis, patiendo, amando, moriendo. Tacendo clamat, sine voce maledicit, abjicit, & evertit hæc fundamenta vitæ mundanæ, & omnia mala in ipsis fundata. Et incipiendo à superbia vitæ, quam damnat, bene videmus, quod ille, cum esset æqualis Patri, amore miseræ animæ nostræ, & omnium peccatorum, se humiliaverit, & subjecerit his, qui volebant eum vincere, ferire, calumniari, addicere, crucifigere, necare. Cum esset ipse pretium gloriæ, honor Patris æterni, Majestas divina, quam omnes adoramus, fecit se vermiculum terræ, opprobrium hominum, & ipsam abjectionem, & ludibrium plebis. Quid ergo nos præsumimus cernentes hunc Dominum ita constitutum? cum sua majestas voluerit à suis inimicis irrideri suam divinitatem, & veritatem, suam humanitatem, opera, innocentissimam vitam & purissimam doctrinam contemni, quantum possent; quis apud eum locus erit superbis? Eo modo, quo videmus illum in cruce, regnavit, obtinuit bona gloriæ, ostendit, quanti faciat humiles, & quam oderit superbiam.

O humillime J E S U, humilia hanc superbiam: veniat Spiritus tuus divinus in hoc miserum cor, & consumat in me radicem <sup>Superbia</sup> superbiam, quæ mecum nata, crevit, & semper incedit mecum, <sup>nobiscum</sup> que miscet omnibus rebus; etiam quando loquor tecum, stat ad <sup>nata</sup> latus. Fac, Domine, virtutem tuam in me, & confunde hanc superbiam. Da mihi perfectum & cordiale odium mei ipsius, & omnium rerum, quæ possunt esse causa superbiam, & intimum amorem sanctæ humilitatis, contemptus, injuriarum & irrisorum, ut merear esse tuus discipulus, & amans eorum, quæ tu amas,

T t t

imitator

imitator ejus, quod in cruce me doces, & osor superbiæ, quam detestaris.

II. DOCTRINA.

*Obedientia  
humilitatis  
filia.*

III. Hæc humilitas Christum fecit tam obedientem suo Patri æterno, ut ex obedientia, & ejus amore mortem tam ignominiosam subiret in cruce. Docuit hoc modo, quanti velit affirmari obedientiam, & legem suam, quam vult etiam cum impensa honoris, sanguinis & vitæ servari; & omnia ei contraria reprobari, ut pestem & venenum animæ. Ostendit etiam, se non recepturum eos, qui afferunt excusationem, vel prætextum contra suam legem; & qui alio modo volunt eam servare, quam præscriptum sit: omnes enim hos falli ac decipi. O nos infelices! quantum invenit expiandum & sanandum in animabus nostris pretiosus hic sanguis! quam levi de causa præterimus leges Domini! quantò pluris facimus spurcas nostras delicias, quam illam! plus valet apud nos lex mundi, quam probant homines, & quid illi dicturi sint de nobis, quam obedientia suæ sanctissimæ legis. Quantùm decipitur mundus, quem sequimur!

O misericors Domine, trahe ad te totum cor meum, nec sine me pergere, ut hactenus. Redeo ad obedientiam tuam: præsens meum votum est, vivere semper subditum voluntati tuæ, & pati potiùs mille mortes, quam te offendere. Recipe, Domine, hanc animam, neque permitte me ampliùs recedere ab hac voluntate, quam mihi largiris. Amore tui, Domine, renuntio legibus mundi in perpetuum, & omnibus, quæ contra tuam voluntatem admisi, de quibus ex toto corde doleo. Dimitte mihi illa, Domine, virtute plagarum istarum, & perfectè subjice me tuæ obedientiæ. O mi Redemptor, fac vim omnibus animabus cum amore, quem exhibes, & omnes obedientiæ tuæ subige. O si omnes, quotquot sumus in mundo, essemus in ovili & mandrâ tuâ, ut audiremus omnes vocem tuam, & sequeremur te divinum nostrum pastorem! ô amor, qui potes omnia, accendere, dilatare, inflamma omnes animas: destrue inobedientiã legis tuæ: subige ista corda; & fac mancipia tuæ bonitatis & pulchritudinis.

III. DO.

## III. DOCTRINA.

IV. Alterum fundamentum mundi est cupiditas & concupiscentia carnis, & eorum, quæ cernimus oculis; his captivæ tenentur mentes nostræ, & eorum amore perdimus veras divitias. His nullus est locus in cruce, quæ condemnat omnem superfluitatem & luxum vitæ. Totus nudus pendet in ea Divinus Magister, tam egenus ac desertus, ut non habeat, qui præbeat ei poculum aquæ in extrema siti: tam sine deliciis, ut nullum ejus membrum à dolore sit immune, nec habeat ubi suum venerandum caput reclinet, neque cui fessum corpus nitatur; sine veste, sine cibo, sine refocillatione, sine pecunia, sine musica, sine suffitu, sine ornatu, sine recreatione; in doloribus, probris, abundantia rerum molestarum, defectu omnis humani solatii & refrigerii emittit spiritum. O vita mundana! ô vanitas terrena! ô deliciae carnis! ô sordidae voluptates! ô cupiditas opum! ô superflua negotia temporalia, quæ occupatis & pervertitis animas, ubi manetis? quem locum habetis in cruce istius Domini?

Piissime JESU, ignosce mihi! ah quoties te amisi per amorem eorum, quæ hîc damnas; & pluris feci corpus, meum inimicum, quam spiritum tuum? ô pietas divina! sileat hîc lingua, & fortiter clamet cor meum contra abominationem cogitationum mearum, desideriorum & affectuum meorum, quam non possum abscondere oculis tuis: peccavi, Domine; peccavi multum & horrendè. Confiteor foeditates meas & peccata. Miserere, miserere, Domine, miserere! Juvate me vos, vulnera Christi: juva me tu, crux Domini JESU. Impera, Domine, ut omnes creaturæ, & omnia tormenta de me sumant vindictam injuriarum, quibus majestatem tuam divinam offendi. Per infinitam pietatem tuam te oro, mi bone JESU, ut me mutes hâc horâ à carne in spiritum, à vanitate in veritatem, à terrenis ad cælestia. Desinat jam vita mea mala, & si desitura non sit, vita mea miserabilis omnino desinat; quia melius est mori, quam te offendere. O si crucifigeres, Domine, statim oculos, linguam & omnes sensus hujus hominis terreni; crucifigeres omnia terrena & vilia desideria mea! Et quia hoc tui est operis, ô bone JESU, incipe statim: ut

Ttt 2

vivam

vivam solùm pro te, & in te, sincerus amator harum veritatum, & osor ejus, quod stultè amavi.

*IV. DOCTRINA.*

*Speculum  
vita.*

V. Divinus hic Magister se proponit in cruce toti mundo pro speculo, quod inspiciant omnes animæ: omnibus, nullo excepto, declarat, quòd per ea, quæ hîc probat, salvandi; quæ improbat, condemnandi sint. Proponit se pro Magistro, ut in omnibus negotiis & operibus externis, & in omnibus desideriis & affectibus internis, noverimus, id solùm fore acceptum, quod potest justificari in cruce; & reprobandum, quidquid crucis doctrinæ contrarium fuerit. Si erraverimus, culpa nostra erit, posteaquam oculis in meridiano sole aspiciamus crucifixum. Si excæcamur nostris desideriis, si inducimur alios colores huic puræ & claræ veritati, si immutamus sensum hujus sanctissimæ humanitatis falsis rationibus, tum decipimus nos ipsos, quia nolumus nos submittere suæ divinæ sapientiæ, & exemplo, quod hîc dat lux, ac certa, pura Veritas.

Averte, Domine, oculos meos ab omni vanitate, & à meipso; ut semper aspiciam te, semper te geram in anima mea, & cor meum semper te laudet, pro tanto favore & gratia, quam mihi hîc facis.

*V. DOCTRINA.*

VI. Dominus in cruce non tantùm detegit fallacias, & evertit fundamenta vitæ mundanæ; sed etiam clarè docet vitam verè spiritualem, ut nemo possit decipi, nisi qui oculis apertis nolit videre. Quia consecravit in ea mortificationem inordinati amoris omnium, quæ sub Deo sunt: & resignationem omnimodam in manus voluntatis divinæ, sine omni resistantia & exceptione, quæ possit excogitari cum profunda & humili obedientia, cùmque puro amore, libero ab omnibus rebus terrenis. Per hanc enim exercentur omnes virtutes, & impletur beneplacitum Dei. Hanc voluit esse viam regiam spiritûs: hanc docuit, approbavit, consecravit in cruce, & ejus Antesignanum, Ducem, Magistrum & Speculum se fecit. Hanc ingrediuntur incipientes, in hac proficiunt, & se in omni bono perficiunt.

VII. Hic



VII. Hic etiam docet Dominus inter dolores legem certam veri & puri amoris, cuius est relinquere totum, ut solus cum solo, nudus cum nudo sit; & sic amet sine lege, sine mensura, sine termino, amare patiendo, pati amando, nulla turbante eum impossibilitate, vel excusatione debilitatis: quia verus ac purus est, omnia potest, nihil formidat. Ligatus pergat, captivus est liber, ardendo non uritur, vivit moriendo & moritur vivendo: quia vita eius est JESUS crucifixus, cum illo vivendo moritur, ut semper vivat; sicut ipse mortuus ex puro amore semper postea vixit. Hic docetur vera libertas animæ, cum purè amat: neque enim libertas est, facere suam voluntatem, & nullam audire contradictionem: sed esse expeditum ab omnibus rebus, & adstrictum illi, ut eum liberè possideat; & ut nec amore, nec odio rei ullius impediatur à patiendo multa pro ipso, ac relinquendo & averfando, quidquid ipse averfatus est; utque omnes eum horreant & crucifigant pro solo JESU, quem amat ac desiderat.

VIII. Ostendit etiam crucifixus similitudinem cum quatuor dotibus gloriosis, quas anima suo modo consequitur, cum vivit crucifixa: quia capta puro ejus amore, illique perfectè unita in carne mortali videtur impassibilis: quia nulla afflictione dejicitur, aut contristatur; nulla re minuitur puritas ejus amoris: quasi nulla res sensibilis eam posset attingere, quando possessa & transformata est per amorem, cui se tradidit, abnegando seipsam, & simul omnes facultates ac sensus, naturæ debilitatem amando sustentans. In quo imitatur quodammodo animam Christi; ad quam, cum esset glorificata, non penetrabant ea, quæ patiebatur in illo mari dolorum.

Deinde etiam suo modo claritatem gloriosam habet anima purè amans, ex luce veritatum, quas intelligit, & sic intus illustratur à Deo, in quo solo occupatur ab ejus fulgore divino resplendens. Sicut enim nulla humiliatio potuit obscurare lucem veritatis crucifixi; sic tantò magis ea fulget in anima, quantò majores tenebræ mundi eam circumdant. Est præterea subtilis hæc anima, ut penetret omnia, nihil ei sit clausum, nihil obstet, aut eam impediatur ab occupatione cum Deo, cuius amore tenetur. Sicut Christus, cum haberet oppositas sibi portas æreas, & vectes

ferreos, omnia tamen penetravit, & confregit, aperiens cælum, & opus divinum perficiens. Denique & agilitatem habet anima, quâ potest evolare in altum, & ferri quocunque amor voluerit. Crucifixus totam obtinet, ac pauper cum sit, omnia possidet, ac depressa regnat in toto mundo; quia in omnibus rebus amat JESUM Christum crucifixum, qui hoc docet.

*Actus hu-  
militatis.*

O quàm ego sum vilis ac terrenus, Domine animæ meæ, cum his veritatibus, quas doces in cruce! Ideo, Deus meus, abjicio me ad pedes ejus, petens misericordiam. Comedant sanè dilecti Filii tui hunc panem divinum integrum; mihi verò terreno & pauperi catello domûs tuæ projice micæ, ut satier illis cum Cananæa, & evadam talis, ut assurgere possim tandem ad puritatem Spiritûs. Da mihi, Domine, Spiritum crucis tuæ, lucem æternarum istarum veritatum, & ardentem tui amorem, ut, mi crucifixe JESU, non amplius hinc recedam. O amor! ô suavitas superna! ô mea perfecta spes! ô vita animæ meæ, exaudi me, & muta me in Spiritu tuo nunc, & in perpetuum. Amen.

## Æ R V M N A X L V.

### Irrisio Veritatum Christi.

I.

*Opprobria  
Redempto-  
ri illata.*



Abuit Christus Dominus noster toto passionis suæ decursu quoddam genus molestiæ gravissimæ, quod aliquoties tactum in præcedentibus, hîc propriè considerabimus, quia maximè fervebat ultimis horis in cruce. Fuit hoc, videre & audire irrisionem suæ personæ atque doctrinæ: quâ undique fuit vexatus in cruce. Nam qui præteribant, qui eum custodiebant, qui cum eo crucifixi erant, Sacerdotes, Principes, Judæi, omnes irridebant eum, & blasphemabant: interea mitis Agnus audiebat omnia tranquillè, sed non sine tormento gravissimo. Sustinuit nocte præcedentè indignissima duo ludibria. Primum in ædibus Caiphæ, ubi velatis ejus oculis & alapis impactis, quasi falsum Prophetam divinare jusserunt, quis eum percusserit: quia fuerant experti, illi omnes cogitationes & intima sua patère, neque posse eum capi vel decipi, sed omnes suas inventiones in irritum cecidisse cum eorum pudore: quare

cum

*In domo  
Caipha,*